Difs.
694.
9.

Dis. 694 (9.

I

II

III

IV

Nummus Philippianus Vid. Pag. 4.

V

Nummus Ludolfianus Vid. Pag. 15.

VI

ADRIANI RELANDI

DISSERTATIO

DE

Inſcriptione Nummorum quorundam

SAMARITANORUM,

AD

Spectatiſſimum Virum,

JACOBUM DE WILDE.



AMSTELODAMI,

Apud FRANCISCUM HALMA, Sub ſigno, Conſtantini Magni. 1702.

Bayerische Staatsbibliothek München

Bayerische
Staatsbibliothek
München

ADRIANI RELANDI

DISSERTATIO

DE

Inſcriptione Nummorum quorundam

SAMARITANORUM.

NUper, quum res Academicae mihi otium facerent, & Amſtelodami ad Te inviſerem, Humaniſſime WILDI, memini ſermonem inter nos fuiſſe de Inſcriptione Nummorum quorundam aereorum, qui illis literarum formis inſigniti erant, quas vulgo Samaritanas appellamus. Quum vero majus otium ea diſquiſitio poſtularet, quam id temporis nobis con-

cedebatur, pollicitus ſum me ſententiam meam aut conjecturam ſcripto ad Te miſſurum eſſe, quod eo lubentius praeſto, quo plus tuae humanitati & benevolentiæ debeo, qua illos è Cimeliarchio Tuo inſtructiſſimo depromtos mecum communicare voluiſti. In eorum numero quatuor erant præcipue, quos aliqua affinitate characterum inſcriptorum conjunctos conjunctim quoque oculis tuis ſubjiciendos eſſe exiſtimo, ut unius contemplatio alterum illuſtret, & illa quæ a me notabuntur, clarius ab animo Tuo percipiantur. Ne vero prolixior deſcriptio nummi cujuſdam ſingularis, quem indicare volumus, ſæpius interponatur, ſequemur ordinem quo heic Nummi depicti ſunt, atque ita eorum vel Primum alterumve aut Tertium nominabimus. En Tibi horum imagines.

Primus Noſter non differt a Secundo & Tertio niſi ea in re, quod lite-

literas plures numero & clariores oſtendat, quum in his quædam temporis injuria eraſæ ſint, quas ex integerrima Inſcriptione Nummi primi facili labore ſuis locis reſtituimus. Utraque facies hujus Nummi literas præfert, quarum explicationem Tibi tradere conabimur. De Inſcriptione autem illius faciei quæ imaginem Palmæ dactyliferæ (vulgatum illud Palæſtinæ Symbolum, quod Tu è Numiſmatibus Tuis optime noſti) circumdat, primo diſputabimus. Videtur illa quidem has literas exhibere, a nobis, ob defectum aliarum, his characteribus Hebræis quadratis expreſſas שנתארכד. Quæ rationes nos impellant, ut credamus formas in Nummo noſtro expreſſas pro his habendas eſſe, ſigillatim exponemus, ubi prius mentem noſtram de notatione harum literarum aperuerimus, ne id noſtra tantum auctoritate affirmaſſe videamur. Putamus itaque hanc Inſcriptionem indicare annum

quo cuſum fuit hoc Numiſma, & in duo membra debere diſtingui quorum unum ſit שנתא, quod *Annum* ſignificat, alterum, Numerus anni רכד qui eſt 224. Vides mihi porro explicandum eſſe, a quo termino hi anni computandi ſint, ut vera ætas cuſi hujus Numiſmatis intelligatur. Me quidem variæ rationes movent ut credam, morem ſignandi Nummos impreſſa imagine, & literas iis inſcribendi, non adeo antiquum eſſe, ut vel ab Exitu Hebræorum ex Ægypto vel a Templo Primo condito hæc Epocha duci poſſit. Non ignoro viros eſſe celeberrimi nominis, qui in ea ſunt ſententia, nummos temporibus Joſuæ, Samuelis & Regis Joſiæ cuſos adhuc ſupereſſe, ſed illos vehementer falli ex ipſa Inſcriptione Nummorum, quos pro ſe facere arbitrantur, non difficile nobis eſſet demonſtratu. Auctoritas etiam Talmudica nonnullis Viris doctis perſuaſit monetam Mardochæi vulgatam

gatam olim fuiſſe; quæriturque huic opinioni præſidium in Sacro Codice, Eſth. 9. 4. debile profecto aut plane nullum. Quod & ſi fateremur Mardochæi memoriam nummo aliquo propagatam fuiſſe, cum hoc factum ſingulare ſit, & in Perſia contigerit, non demonſtrat ea ætate nummos cuſos apud Judæos in uſu fuiſſe. Antiquiſſimis enim temporibus ſolebant Hebræi nummos ponderare, & certam argenti aurive quantitatem ad ſtateram expendere, non Abrahami tantum ævo, ut docemur Gen. 23. 16, ſed & Davidis, 1 Chron. 21. 25. & Jeremiæ in Libro ejus cap. 32. 9. Quibus in locis cum mentio fiat ponderationis, etiam ſi nummi exiguo numero ſolvendi eſſent; nuſpiam vero in Codice Veteris Inſtrumenti (cujus hiſtoria a mundo Condito uſque ad rudimenta Templi ſecundi protenditur) nummos cuſos eſſe legamus, tuto credimus ætatem Nummorum cuſorum

ad tempora Templi Secundi debere referri. Cujus ſententiæ contrarium a nullo hactenus demonſtratum fuit. Verum ſtante Templo Secundo nummos a Judæis cuſos fuiſſe nullus, quod credam, Virorum Eruditorum negabit. A condito autem Templo Secundo anni in Nummo noſtro notati numerari nequeunt, quum iſta æra non niſi XL. annis, juxta rationes Chronologicas Judæorum, in uſu fuerit, & numerus noſter annos 224. exhibeat. Anno enim quadrageſimo a Templo Condito veniſſe dicitur Alexander Hieroſolymas, a quo anno deinceps tempora ſua numerarunt Judæi uſque ad Templi excidium & ulterius. Credimus ergo numerum horum annorum ineundum eſſe ab Aera iſta Alexandrina, quæ a Philologis Aera Contractuum, a Judæis מנין שטרות dici conſuevit. Quare apparebit Nummum hunc cuſum fuiſſe ſub Imperio Regis Jannæi, fratris Ariſtobuli, oriundi è nobiliſſimo ge-

genere Chaſmonaeorum. Quo nos etiam ducit Inſcriptio in averſa Nummi parte, mox a nobis explicanda. Illuſtris illa familia præfuit rei publicæ Judaicæ centum & tribus annis, juxta traditiones Hebræorum, ab Anno Mundi Conditi 3622. uſque ad 3725. Initium vero Aeræ, Contractuum dictæ, dedit annus milleſimus ab Exitu Iſraelis ex Ægypto, qui contigit, juxta conſtantem traditionem Chronologorum inter Judæos, Anno ab orbe Condito 2448. Aera itaque contractuum exordium habuit anno 3448. A qua ſi ſupputemus annos 224, in nummo noſtro deſignatos, numerabimus annum a Mundo Condito 3672, quo rerum potiebatur apud Judæos Rex Jannæus. Quod autem regnantibus Chaſmonæis & diu poſtea Judæi in annorum computo hanc Epocham ſecuti ſint, plurimis poſſem firmare teſtimoniis; ſed uno contentus ero, quod è Pandectis Talmudicis hauſit

R. David Ganz, in Zemach David, cujus verba, quod huic argumento multam lucem adfufura ſint, & liber in omnium manibus verſetur, ipſa proferam, דע שמתחילה היו ישראל מונין שנתיהם ליציאת מצראים ואחר זה למספר שנות המלכים כאשר תמצא דבר זה בדברי הנביאים הראשונים ואחרונים עד שנת אלכסנדרוס מוקדון הין מתחילין למנות שנותיהם וכותבין כל שטרותיהם מזמנו כמו שאמר בפ' קמא דע' ז' אמר רב נחמן ובגולה אין מונין אלא למלכות יונים בלבד:

Sciendum eſt in initio Iſraelitas numeraſſe annos ſuos ab Exitu ex Ægypto, deinde ab initio regni uniuscujuſque Regis, qui ipſis præerat, uti videmus in Libris Prophetarum priorum, & poſteriorum, quæratio computandi annos perduravit uſque ad tempora Alexandri Macedonis. Tum inde cœperunt numerare annos ſuos & iſto computo uſi ſunt in omnibus tabulis contractuum, uti traditum eſt in Talmude Cap. I. *Lib. de Idololatria*

tria. Raf Nachman inquit, Tempore exilii ſolebant anni numerari ab Imperio Græcorum. Additque idem, hunc morem numerandi tempora ab æra contractuum viguiſſe apud Judæos ultra decem ſæcula. Et conſtat inter Eruditos æram a Mundo Condito, qua hodie utuntur, nonniſi poſt abſolutionem corporis Gemarici uſitatam fuiſſe. Leve eſſet teſtimonium Ganzii, niſi id firmari poſſet auctoritate Scriptorum & antiquiorum & maximi nominis apud ſuos, quales ſunt Auctor vetuſtiſſimi Chronici Seder Olam Rabba, pag. edit. Meyerian. 91. R. Abraham Zacuth in Juchaſin fol. 3. col. 6. edit. Conſtant. & alii. Eandem hanc æram vel certe non multum ab ea diverſam uſurpari in Libris Maccabæorum vulgo dictis videmus, eamque appellari æram regni Græcorum, quo nomine æra contractuum apud Judæos quoque indicari ſolet. Non eo inficias differentiam aliqualem eſſe

inter

inter æram Contractuum Judaicam & eam qua utitur ſcriptor Librorum Maccabaicorum, quum hæc illam ſex annorum ſpatio aliquando prævertat. Mattathiam enim, quem Hebræi anno aeræ Contractuum 140. obiiſſe ſcribunt, anno æræ ſuæ 146. defunctum eſſe tradit Auctor l. 1. Mac. 2. 69. Ratio hujus diſcrepantiæ inde originem ducit, quod Judæi æram Contractuum inchoent a ſexto anno Imperii Alexandri, quo in Palæſtinam veniſſe creditur & cum Simeone Juſto, Pontifice Maximo, collocutus fuiſſe; Scriptor vero Librorum Maccabaicorum æram ſuam a primo anno Imperii Alexandri ordiatur, unde liquet inter initium hujus æræ & illius ſex annorum intervallum intercedere. Quæ pro vera æra Contractuum haberi debeat, an illa quæ a primo an quæ a ſexto Alexandri anno capit exordium, nunc non diſputabimus, quum exigua utriuſque differentia nullam in explicatione hujus Numismatis

matis creare poſſit difficultatem. Confuſionem harum ærarum facile induceret commune nomen, quo utraque dicitur *Aera Alexandri*, licet ſex annorum ſpatio videantur eſſe ſejunctæ. Quid? quod præter has tertia ſit epocha, quæ æra Alexandri fuit appellata & circa eadem tempora originem habuit, notior tamen illa vulgari nomine æræ Seleucidarum, quæ a primo anno Seleuci Nicatoris cepit exordium & in Nummis Regum Syriæ notata ſaepe legitur. En ipſa verba Abulfaraji, qui in Hiſt. Dynaſt. pag. 98. hæc tradit

وبعد اثنتي عسر سنة من موت للاسكندر
حصل لسلوقوس المسمي نيقاطور اي
القاهير ملك بابل وكل العراق
وحراسان الي النهد (ita legitur in editione Pocokiana, ſed puto legendum
ومن اول ولايته يبتدي هذا (الهند esse
التاريخ المعروف بتاريخ الاسكندر
وهو الذي يورخ به السريان والعبريون

Elapſis autem duodecim annis a morte

te

te Alexandri pervenit (regnum sc.) *ad Seleucum dictum Nicatora, id est, Victorem* (Notabis ἐν παρόδῳ nomen Urbis celeberrimæ *Alcairo*, quæ eadem vox Arabica est sed fœminina, significare *Victricem* (القهرة) *Regem Babelis & totius Parthiæ* (vel Chaldææ; hæc enim & illa عراق vocabantur, altera quidem عراق عجم, altera عراق عرب) *Choroſanæ* (id est, Bactrianæ, quæ male apud Ptolomæum Χοροάνη legitur) *uſque ad Indiam. A primo anno imperii ejus æra incipit, quæ vulgo dicitur Æra Alexandri, & qua utuntur Syri & Hebræi.* Hanc æram Seleucidarum esse eandem cum æra Judaica Contractuum clarissimi nominis Chronologus D. Petavius opinatur in Rationar. Tempor. p. 2. lib. III. c. 13. Quamvis Judæi æram suam contractuum a sexto anno Alexandri inchoent. Quicquid sit; sive illa æra, quæ a primo Alexandri anno, sive quæ a sexto, sive quæ a primo Seleuci

leuci anno, incipit, habenda ſit pro æra Contractuum apud Judæos uſitata, incidit tamen annus cuſorum horum numiſmatum in tempora Chaſmonæorum. Malumus autem ſequi ſcriptores Hebraicos & initium æræ Contractuum adſignare in anno ſexto imperii Alexandri. Erunt tamen forte nonnulli qui ſibi perſuadebunt æram hanc Contractuum in uſu non fuiſſe regnante Jannæo, quum hæc verba in Lib. 1. Maccab. 13. v. 41. & 42. legerint: Ἔτους ἑβδομηκοστοῦ καὶ ἑκατοστοῦ ἤρθη ὁ ζυγὸς τῶν ἐθνῶν ἀπὸ τοῦ ἰσραήλ. Καὶ ἤρξαλο ὁ λαὸς ἰσραὴλ γράφειν ἐν ταῖς συγγραφαῖς καὶ συναλλάγμασιν ἔτους πρώτου ἐπὶ Σίμωνος Ἀρχιερέως μεγάλου καὶ στραληγοῦ καὶ ἡγουμένου Ιουδαίων. *Anno centeſimo & ſeptuageſimo ablatum fuit jugum quod Gentes impoſuerant Iſraelitis. Cœpitque populus Iſraeliticus in ſyngraphis & tabulis contractuum ita ſcribere: Anno primo Simonis Pontificis Maximi, Ducis & Præ-*

Præfecti Judæorum. Opportune heic, dum ab hoc argumento distractus aliud ago, incido in locum huic non absimilem in Talmude, ubi in Gemara Cod. Rosh Haschana c. 1. ex antiquissimo Libro Megillat Taanith (quem cave confundas cum recentiori, qui una cum Chronico Templi Secundi & Historia R. Abrahami ben Dior, aliisque libellis non magnæ molis excusus est aliquoties) traditur, שפעם אחת גזרה מלכות יון גזרה על ישראל שלא להזכיר שם שמים על פיהם וכשגברה מלכות בית חשמונאי ונצחום התקינו שיהו מזכירין שם שמים ואפ' בשטרות וכך היו מונין בשנת כך וכך ליוחנן כהן גדול שהוא כהן לאל עליון: *Interdixisse aliquando Regem Græciæ* (i. e. Syriæ, ut mox demonstrabitur) *Judæis pronunciationem nominis Divini, Hasmonæos vero, quum prævalerent, constituisse ut etiam in formulis contractuum id scriberetur, atque illo*

tempore hanc fuisse consuetudinem annos numerandi: Anno hoc vel illo Johannis, Pontificis Maximi, qui Sacerdos est Dei altissimi. Verum si ad ipsa verba propius animum advertant, deprehendent non dici, æram usitatam abolitam fuisse, sed ab eo tempore consuevisse Judæos nomen Ducis sui adnotare in formulis contractuum. Utrumque autem fieri potuit, & nomen Ducis, & æra Græcorum, signari, quod certe ab eo tempore factum fuit. Nam in desuetudinem non abiisse æram Græcorum ex eo liquet, quod biennio post illud tempus, quo hunc morem apud Judæos invaluisse Scriptor affirmat, æra Græcorum adhuc in tabulis publicis, quæ columnis in monte Sion affixæ legebantur, usitata fuerit, addito tamen nomine Ducis aut Pontificis Maximi. Legitur id 1 Maccab. 14. 27. ὠκλοχαιδεκάτη Ἐλλ᾽ ἔτους δευτέρου καὶ ἑβδομηκοστοῦ καὶ ἑκατοστοῦ. Καὶ τοῦτο τρίτον ἔτος ἐπὶ Σίμωνος

μωνος Αρχιερέως. *Die decimo & octavo mensis Elul, anno centesimo, septuagesimo secundo, qui est tertius Simonis Pontificis Maximi.* Confer 2 Maccab. 1. 10. Exploratum itaque nobis est Aeram regni Græcorum, sive a primo sive sexto Alexandri anno computari debeat, quod nobis in hoc argumento occupatis perinde est, obtinuisse inter Judæos tempore Chasmonæorum. Quæ cum ita sint, non dubitamus annum in Nummo nostro signatum fluxisse sub imperio Regis Jannæi: aptissimo tempore, quo libertas populi Judaici restituta potestatem fecit illi qui rerum potiebatur, Nummos cudendi. Adde quod ista ætate mos invaluerat apud Syros, & Ægyptios, gentes Judæis nimium vicinas cognitasque, numerum anni, quo cusi essent, ex vulgari numerandi ratione nummis inscribere. Quam consuetudinem, quum Numismata Antiochi, Demetrii, Alexandri, Ptolomæi,

lomæi, aliorumque (quæ Tuum Cimeliarchium continet plurima) abunde Te docere possint, ego pluribus non confirmabo. Ad exemplum harum Gentium Hasmonæos aeram inscripsisse Nummis suis, vel plerisque vel omnibus, mihi admodum fit vero simile. Scrupulum forte alicui injiciet, quod dixerim שנתא *Annum* significare, quum Hebraice שנת vel שנה *Annus* dici soleat. Quod quidem non infiteor; sed dialectum eo tempore in Judæa usitatissimam puram Hebraeam fuisse pernego. Chaldaicæ enim & Syriacæ voces (quæ linguæ characterum forma magis quam ulla alia in re diversæ sunt) post reditum exulum Judæorum è Babylonia adeo fuerunt usu communi tritæ, ut avita illa & purior lingua Hebraica in desuetudinem fere abierit, & Lex Divina a populo intelligi vix potuerit, nisi in sermonem Chaldæum transferretur; unde natæ videntur Paraphrases illæ Chaldaicæ, quæ in

manibus noſtris verſantur. Ex quo linguæ patriæ neglectu & mixtura cum aliis linguis nova quaſi dialectus Hieroſolymitana dicta, traxit originem. Eo autem tempore, cum Soſpitator noſter humana carne indutus in his terris verſaretur, ita invaluerat hæc conſuetudo, ut voces pure Syriacas magno numero non protulerint paſſim, ſed & Hebraicas illas appellaverint, quod adeo ipſis familiares eſſent; ut videmus Joh. 19. 13. 17. Act. 1. 19. & alibi. Quæ cum ita ſe habeant, quis neſcit Syros *annum* iisdem literis שנתא ſֹנָא dicere, Chaldæos autem, abſentia literæ Nun per Dages compenſata, שַׁתָּא. Quamvis autem fatear animo meo non obverſari exemplum aliquod vocis שנתא ſcriptæ a Chaldæis ob defectum librorum ea ætate conſcriptorum, fieri tamen id per genium linguæ potuiſſe, & factum fuiſſe aliquando, ex eo colligo, quod Chaldæi

dæi dages forte etiam ſine neceſſitate in literam ; reſolvant. Exempla notiora ſunt, quam ut iis recenſendis te morari poſſim. Nec a Chaldæis tantum id fieri conſuevit ; ſed a Syris qui pro Hebræis vocibus אתם & את ſcribunt ܐܢܬܘܢ & ܐܢܬ, ab Arabibus, qui Hebr. אבוב legunt انبوب ab Æthiopibus quoque, legentibus pro Hebr. שבת & אתם, דחלת, & ሰንበት, Dages per Nun compenſato. Si quis tamen aſſentiri neget huic noſtræ explicationi, ob eam rationem quod exiſtimet annum convenientius rationi illorum temporum שנת quam שנתא dici, legat Inſcriptionem hujus Nummi hoc modo, שנת ארכד *Anno* 1224, & hos annos ſupputet ab Epocha Celeberrima Exitus Hebræorum ex Ægypto, quæ aera ab aera Contractuum mille annorum intervallo disjuncta eſt. א autem mille ſignificat, quod a voce שנתא demtum, numero רכד addi poteſt. Sic omnia pure erunt He-

braica. Hanc ego cogitationem, ut mihi in mentem venit, Te celare non possum, Vir amicissime, verum in-numeris parasangis ei priorem Explicationem præfero, quam solam genuinam esse mihi persuadeo. Sed video mihi, antequam huic Inscriptioni valedicam, rationem reddendam esse lectionis meæ, quamvis eam omittere possem ad exemplum Magnorum Virorum, qui Nummos Veterum Hebræorum explicuerunt, & satis mihi conscius sim vix aliquid a me dici posse, quin homines quidam, qui aliis adversari amant perpetuo, aliquid reponere possint. Me tamen non pudet eam viam, quam inii, Tecum candide communicare, ut ipse videas, quibus fundamentis meae conjecturae nitantur. Quin Prima litera hujus Inscriptionis Schin sit, dubium non est. Eadem enim figura in Alphabeto Samarita-no, quod Illustris Scaliger protulit, & alibi, cernitur: quamvis, qui hodie

hodie ſuperſunt Samaritani dentes hujus literæ, quos vocant, adeo non protendant, uti in Epiſtolis Samaritanorum ad CL. Ludolfum datis, & Alphabeto, quo conſcriptus eſt Pentateuchus Samaritanus in Bibliotheca Vaticana latens, videre eſt, apud Villalpandum & Bartoloccium. Secunda litera Nun eſt. Conferatur Alphabetum Vaticanum, & illud Scaligeri, ac eadem hujus literæ figura in Nummo noſtro quarto ita depicta ut quam proxime ad hodiernam iſtius literæ figuram accedat. Tertiam Thau eſſe Hieronymus teſtabitur, qui in Comment. ad Ezech. literam Samaritanorum Thau crucis figuram referre tradit, qua forma etiam conſpicitur in Alphabeto Samaritano antiquiſſimo, quod ſibi Mantuæ viſum refert R. Azarias in מאור עינים. Nec forma crucis adeo recedit ab hodierna figura literæ Samaritanæ Thau, ut multi clamant, qui ob diſſimilitudinem harum for-

marum incertam esse omnem lectionem antiquorum Characterum Samaritanorum affirmant. Figuram, & forte notationem, eandem habet litera quædam Punica (inter Punicas autem & Samaritanas literarum formas maximam intercedere cognationem diu obſervatum fuit) conſpicua in nummis Siculis, Sidoniis, Tyriis, Africanis & aliis. Tuum Cimeliarchium tres nummos poſſidet Phœniciis litteris inſignitos, in quibus hæc forma crucis evidenter apparet. In Sicilia quoque Perutæ Tab. 13. & 14. & 92. in Nummo Antiochi IV, Regis Syriæ, quem CL. Vaillant. p. 200. exhibet, ejusdem figuræ litera Phœnicia conſpicitur. Sed de litteris Punicis forte alias Tibi conjecturas meas perſcribam. Redeundum eſt in viam. Quarta litera Aleph eſt, quod conſtat inter Eruditos. Quintam jure pro Reſch haberi ex Alphabeto Azariæ ſatis videtur poſſe colligi, quam-

Nummi aliquot Punici Siculani, de quibus Pag. 24.

Maria de Sylde delineavit

quamvis non negem in Nummo noſtro ſpatium quod inter duas lineolas eſt lineola plana incumbente clauſum non eſſe, ut videtur fieri debuiſſe. Sed ipſius Nummi contemplatio docere videtur lineolam iſtam eraſam eſſe, quod eo facilius contingere potuit, quo propius hæc lineola ad limbum nummi acceſſit. Finge tamen non eſſe eraſam lineolam. Conſtare nihilominus poterit vera forma hujus literæ. Videmus enim in quibuſdam Nummis & ſcriptis Codicibus Samaritanorum literas nonnullas E. G. Daleth, Cheth & Mem ſuperne linea incumbente claudi, in aliis vero apertas relinqui. Cujus ego rei exempla Tibi exhibere paratus ſum, cum Te Trajectum & domus mea iterum exceperit, tanto hoſpite futura felicior. Certe ego confiteor me nullius literæ formam noſſe, quam noſtra exactius referat, quam literæ Reſch. Sequentem characterem pro Caph habeo, maxime quum

ejus imaginem in Inſcriptionibus Nummorum noſtrorum Secundi & Tertii contemplor (quæ cum hoc primo conveniunt) & illam cum figura literæ Caph in Alphabeto Samaritano, quo Scaliger uſus eſt, confero. Ultima litera mihi Daleth eſſe videtur, pro qua diu hābuerunt Viri Eruditi formam literæ ab hac noſtra non multum diverſam, in explicatione Nummorum, qui vulgo pro Siclis habentur, de quibus jam non dicam, quamvis non diffitear omnes qui & in hac Urbe & alibi a me viſi ſunt, dubiæ, ſi non malæ, fidei, a me haberi. Atque ita vides, Vir Eruditiſſime, quæ me rationes impulerint, ut eo quo explicui modo nummi noſtri unam Inſcriptionem explicarem. Accedo ad illam, quam altera pars Nummi primi, calice impreſſo conſpicua, exhibet. Continet illa, quantum ego aſſequi valeo, has literas Hebraico charactere quadrato ſic ſcribendas,

das,

das, לגאלת מיון, quarum ſenſus eſt, *Propter* ſive *ad memoriam Liberationis a Græcis*. Scilicet ea ætate, qua cuſum fuiſſe hunc nummum credimus, excuſſerat populus Judaicus jugum a Syris impoſitum, avitæ Libertati reſtitutus fortitudine Chaſmonæorum, uti fuſe in Libris Maccabaicis, Joſephi, & aliis traditur. In ſignum vero Libertatis recuperatæ Nummos ejus indices cuderunt, quod populo non licuit in alienam poteſtatem redacto. Jus autem cudendi nummos reddidit Judæis Antiochus Demetrii filius, quum Simon Dux & Pontifex Maximus eſſet Hebræorum, una cum aliis privilegiis, quæ ab Regibus Syriæ, qui ante ipſum regnarunt, ablata fuerunt, & id de novo firmavit. 1 Maccab. 15. ℣. 5. & 6. Inſcriptio numiſmatis noſtri ut clarius intelligatur, ſciendum eſt Reges Syriæ, a quorum oppreſſione Chaſmonæi populum Judaicum liberarunt, dici conſueviſſe

apud

apud Judæos מלכי יון *Reges Græciæ*, & ipſum Regnum מלכות יון *Regnum Græcum*, quia Imperii Græci, qua extenſione id fuit ſub Alexandro Macedone, partem non exiguam poſſidebant, & ſe ſolos legitime ſuccedere Alexandro in Imperio gloriabantur. Unde in Nummis Seleuci Nicatoris caput Leonino rictu armatum, & Jovis effigies, crebro conſpiciuntur. Illud in nummis Amyntæ, Philippi & Alexandri Magni, qui ab Hercule genus ducebant, frequens eſt, quod imitatus eſt Seleucus. Hæc, Jovis effigies, in Nummis Alexandri ſæpe conſpicienda, quod ſe παῖδα Διὸς haberi vellet, a Seleuco quoque adoptata eſt, qui ſe verum Alexandri ſucceſſorem credi volebat. Quare mirum non eſt regnum Syriæ Græcum a Judæis dictum eſſe. Adde Syros lingua Græca uſos fuiſſe, quod Seleucus Nicator edicto publico juſſiſſe dicitur, qua lingua etiam Inſcriptiones, omnium

Num-

Nummorum cuſorum ſub Imperio Regum Syriæ, conſcriptæ ſunt, ſi paucos excipias a Tyriis & Sidoniis vulgatos, in quibus literæ Phœniciæ inveniuntur. Sed juvabit forte ipſos audire Judæos id affirmantes. Hæc verba ſunt Auctoris סדר עולם Chronici antiquiſſimi. ר' יוסי אומר מלכות פרס בפני הבית שלשים ושנה מלכות יון מאה ושמונים מלכות בית חשמונאי מאה ושלש *Imperium Perſarum, inquit R. Joſe, duravit ſtante Templo triginta quatuor annos, Imperium Græcorum centum & octoginta, Regnum familiæ Chaſmonæorum centum & tres.* Paulo poſt. ואלו הן שמונה מלכי יון אלכסנדרום מקדון פירטון שלימון סליקס סנטרוק אנטיוח אנטיוכס גסקלום *Hi ſunt octo Reges Græcorum, Alexander Macedo, Perdiccas,* (ita lego פירטק) *Selemon* (conjicio corruptum hoc nomen pro *Eumene* poſitum transpoſitis literis & ל in א verſo) *Seleucus, Caſſander*

der (ita puto legendum esse ק postposito quod præponi debuit) *Antiochus*, *Antiochus*, *Gascelus*. Hoc ultimum divinare nequeo, nec id jam ago. Nomina hæc, ut vides, corruptissima sunt, vix nisi ex conjecturis restituenda, satisque ostendunt quam Judæi in Historiis externarum gentium caecutiant. Demonstrant tamen illa, non unum tantummodo Alexandrum Regem Græcorum a Judæis dictum esse, sed & Seleucum, Antiochum, & alios. Ita in Gemara Avoda Zara & in Rosh haschanah cap. 1. מלכות יון pro Imperio Syrorum, in Gemara Taanith cap. 2. Nicanor dux יונים, in Sepher Hakkabbala Antiochus מלך יון & sexcenties alibi. Erunt tamen forte, qui per vocem יון *Javan* Græciam vel Græcos intelligi fatebuntur, si addatur vox מלכות vel ארץ, hoc modo, ארץ יון, מלכות יון, יון *Regnum Javan*, id est, *Græciæ*, *Terra Javan* &c. sed nega-

negabunt יון *Javan* nude posse significare regnum Græciæ, aut saltem duram esse illam loquendi rationem. Ut & istis satisfiat, observamus, in Sacro Codice, Jes. 66. 19, יון *Javan* non adjecto alio nomine legi, & in Versione Græca Alexandrina per ἑλλὰς, ab interprete vulgato Latino *Græcia*, explicari. Ezech. 27. 13. de Tyro dicitur, יון *Javan* (quod aliter verti vix potest, quam per vocem Græci, aut natio Græcorum) *Tubal & Mesech erunt mercatores tui*. Versio Græca Alexandrina (vulgo τῶν LXX) ἡ ἑλλὰς *Græcia* καὶ ἡ σύμπασα (legisse opinor interpretes תבל quæ vox ab iis modo οἰκουμένη, modo ἡ σύμπασα, ut hic ita & Nah. 1. 5. transfertur, notatque orbem habitabilem) καὶ τὰ θηλέωνλα (crediderunt esse nomen appellativum a משך, θηλέειν) αὐλοὶ ἐνεπορεύονλό σοι. Sed quum Clarissimus elapsi sæculi Philologus S. Bochartus hunc textum de *Iavan*, urbe quadam Arabiæ, agere existimet,

quam-

(quamvis non diffitear me diſſentire hac parte a Viro Maximo) alium addimus, Zach. 9. 13. ubi hæc legimus, על בניך יון ſuper filios tuos, o Javan, id eſt Græcia. Vox יון, Javan, itaque uſitata eſt pro gente, ut Aſſur, Canaan, Miſraim & aliæ. Quæ nomina ita ſolent uſurpari, uti in noſtris Numismatibus vox Javan, eadem ſcilicet phraſi, qua Mich. 5. 5. dicitur הציל מאשור, *liberabit ab Aſſur*, id eſt, imperio Aſſyriorum, & 2 Sam. 7. 23. פדית לך ממצרים *redemiſti* (Iſraelitas) *Tibi a Mizraim*, id eſt, ab imperio *Ægyptiorum*, ita ut Tuus jam ſit populus & libere tibi ſerviat, qui olim ſerviit *Ægyptiis*. Quidam transferunt illud ממצרים, *ex terra Ægypti*, nec ego repugnarem, niſi ſequentia verba גוים ואלהיו aliam verſionem poſtularent, ita vertenda noſtro judicio cum antecedentibus: *Redemiſti* (aſſeruiſti ſive liberaſti eos) *Tibi ab Ægyptiis, gentibus & idolis eorum.* Quæ niſi

ita

ita transferantur (possunt autem commode) sensum hiulcum pariunt, qui voce adjecta repleri debet. Versio Græca huic textui lucem non adfundit. Habet enim ὡς ἐλυτρώσω σεαυτῷ ἐξ αἰγύπτου ἔθνη καὶ σκηνώματα. Pessimo sensu. Legerunt pro ואלהיו & Deos eorum, ואהליו & σκηνώματα, tentoria, eorum. Sed de his satis. Vox גאלת, quæ in Inscriptione nostra legitur, aptissima sane est ad denotandam Vindicationem illam Illustrem populi Judaici, unde & in Psalmo 106. ℣. 10. & alibi legitur, quum de liberatione Hebræorum ex Ægypto agitur. Ita in Talmude, Gemara Rosh haschana cap. 1. בניסן נגאלו ישראל ובניסן עתידין ליגאל *Mense Martio liberati sunt Israelitæ & Mense Martio liberabuntur iterum*, a Messia. Præterea in hac voce aliquid invenio, quod ad rem præsentem mire facit; quod scilicet jus גאלה *redemtionis* sub V. T. posposcerit redemtionem fieri a fratre

conſanguineo Deut. 25. qui viduam a fratre relictam duceret, ejuſque גֹּאֵל diceretur. Pari ratione, quum Eccleſia Judaica quaſi vidua a Juda Maccabæo relicta eſſet, defendendam eam ſuſcepit frater Jonathan, mortuo Jonathane Simon, & quum fratres deficerent, ſanguine proximi rem publicam Hebræorum & legibus & armis confirmarunt. Ad hoc attendiſſe Auctorem hujus Inſcriptionis eo facilius crediderim, quo magis conſtat circa tempora cuſi hujus numiſmatis uſitatos fuiſſe tales loquendi modos, quibus Viri Eccleſiæ aut Politiæ Judaicæ præfecti Mariti illius, quaſi Uxoris, dicti ſunt. Joſua Ben Perachiæ, qui in Juchaſin dicitur vitam produxiſſe uſque ad tempora Alexandri Jannæi fil. Hyrcani, fugerat in Ægyptum (fabulatur R. Abraham ben Dior Chriſtum cum eo fugiſſe, quod rationibus temporum repugnat) & illic a Collega ſuo Simeone ben Shetach Epiſtolam accepit

cepit quasi nomine Urbis Hierosolymitanæ conscriptam מני ירושלים
עיר הקדש ליכי אלכסנדריא של מצרים
בעלי שרוי כתוכך ואני יושבת שוממה
A me Hierosolyma, Urbe Sancta,
Tibi Alexandria quæ in Ægypto es
(salus dicitur.) Maritus meus in medio
Tui commoratur, ego autem sedeo de-
solata. Juchasin. fol. 4. col. 5. Vides ut Urbs virum in re publica Judaica maximum, Præsidem Synedrii, maritum suum blando nomine appellet, se autem quasi viduam deploret. Sed ad Nummi nostri Inscriptionem redeundum est. Non debet quenquam offendere vocem יון *Javan* pro regno Græco a me accipi, licet nomen proprium viri sit, quum & Mizraim, Edom, Canaan, Assur, nomina virorum sint, istis tamen populis & regnis tributa, quorum auctores extiterunt. Hæc de Explicatione hujus Inscriptionis dicenda habuimus; restat ut, quem admodum ante a nobis factum est,

ſingularum literarum rationes tradamus. Prima Lamed eſt. Nihil mihi videtur certius. Omnia enim Alphabeta id firmant. Altera Gimel. Confer Alphabetum Vaticanum & R. Azariæ. Tertia Aleph: duæ ſequentes Lamed & Thau. De iis antea diſputavimus. Sexta, ut quod verum eſt confitear, diu me ſollicitum habuit. Quum tamen vox præcedens גאלת ſoleat poſcere literam Mem præfigendam voci ſequenti, ut illi norunt qui ſtudia Hebraica vel a primo limine ſalutarunt, & literæ vocis præcedentis & ſequentis ſatis claræ mihi videantur, non poſſum non illam pro Mem habere. Et, niſi vana mihi imaginatione blandiar, videor ſimilitudinem aliquam in trino apice, qui literæ Samaritanæ Mem (uti illa vulgo hodie ſcribitur) tribui ſolet & flexu trium lineolarum, qui in hac litera Nummi noſtri cernitur, deprehendere. Hæc ejusmodi ſunt, Vir Amiciſſime, ut di-

distinctius ab animo meo concipi, quam Tibi scripto explicari queant. Quum mihi dabitur Te coram posse alloqui, calamo similitudinem ductuum in utraque figura, ut mihi illa apparet, exprimere non recusabo. Invenies quoque figuram literæ Mem ad nostram propius accedentis, in dimidio Siclo Kircheri. Certe hanc literam a me pro Mem haberi, non ægre ferent illi Viri, qui figuram M Latini & M μ Græci (uti omnium literarum Græcarum & Latinarum) a forma Samaritanorum characterum ducunt, nam utriusque Mem vestigia certiora in hac nostra figura, quam in typis vulgaribus, invenient. Septima Jod est, ut ex Alphabeto Azariæ liquet, eamque ita appellarunt Villalpandus, Kircherus & alii. Per octavam Vav debere intelligi figura ejus non multum diversa ab impressis in Polyglottis Anglicanis, & Alphabeto Vaticano, mihi persuadet. Ultimam literam Nun esse,

manifeſtum fit ex iis quæ de illa figura antea notavimus. Ut vero de impreſſa figura calicis aliquid addamus, credimus nos quidem illum eſſe Symbolum Gratiarum actionis, quam pro recuperata Libertate auſpiciis Chaſmonæorum Deo reddebant Judæi. Eo nos ducunt verba Scriptoris ſacri Pſ. 116. ℣. 12. & 13. *Quid reddam Domino pro omnibus beneficiis quæ in me contulit?* כוס ישועות *Calicem ſalutum elevabo & invocabo nomen Domini.* Chaldaica Paraphraſis Pſalmorum habet כסא דפרקניא *Calicem liberationum* ſeu *Vindicationum.* פרק unde ducitur vox פורקנא ſæpe a Chaldæis adhibetur, ut exprimat Hebræum גאל Exod. 21. 8. Deuter. 13. 6. Jud. 16. 14. Pſ. 106. 21. & alibi. Sic Calix nummo noſtro impreſſus erit כסא דפורקניא Calix magnæ illius ſalutis partæ per Chaſmonæos, Calix גאלה, Vindicationis (quæ vox in Nummo noſtro legitur) populi Judaici a tyrannide Græ-

Græcorum. Hæc de Nummo noſtro primo habui dicere. Secundus & Tertius eaſdem literas præferrent,

Ni vetus ipſa dies extenuaſſet opus.

Ab his enim literæ quædam abſunt, ſed è primo reſtituendæ. Ab una parte Nummi Secundi abſunt duæ literæ priores Schin & Nun. Reliquæ è conjecturis noſtris ſupra expoſitis intelligi poſſunt. Altera pars Nummi duabus quoque literis caret, quas è collatione cum Nummo primo facile intelligimus eſſe Lamed & Gimel. Abeſt quoque ab litera ultima linea quæ in Inſcriptione Nummi Primi manifeſta eſt. In Nummi Tertii facie una literæ eædem, quæ in Nummo primo, ſunt conſpicuæ, omnes demta ultima quæ forte, uti in Primo & Secundo, Daleth fuit, vel alia quædam, quod incertum eſt. Caret altera facies hujus Nummi tribus literis Mem, Jod & Nun.

Quartus Nummus vas aliquod ſacrum, ut conjicimus, ab una parte exhibet, & literæ circum illud conſcriptæ vocem שנתא, *Annum* efficiunt, uti nos quidem exiſtimamus. Ultima litera, fateor, in nummo magis accedit ad figuram literæ Schin quam Aleph. Sed in forma hujus nummi & diſpoſitione characterum multa notamus inordinata, unde facile Aleph in hanc figuram degenerare potuit. Si tamen quiſpiam illam figuram pro ש habeat, legat ..שנת ש *Anno trecenteſimo &* ..... Plures enim literas adfuiſſe veſtigium unius ad ſiniſtram emicantis oſtendit. Sed hæc lectio nobis minus probatur, quum hic annus in ſeriora tempora incidat, & ex aliis Nummis perſuaſum nobis ſit שנתא legi oportere. De Inſcriptione, quæ in altera facie Nummi Quarti legitur, quamvis tres literæ ſatis clare extent, vix aliquid affirmare audeo. Verum ſi & alii Nummi Veterum

He-

Hebræorum literis hiſce, quas Samaritanas appellamus, inſigniti ad manus meas perveniant, è quibus defectus harum literarum ſuppleri poſſit, promitto me cogitationes meas ad Te miſſurum eſſe. Non poſſum tamen, quin ex occaſione horum Nummorum Te moneam, Spectatiſſime WILDI, me in ea ſententia verſari, Nummum noſtrum primum ab utraque parte eandem Inſcriptionem præferre, quam præfert Nummus ille celeberrimus, qui a Villalpando, Kirchero & aliis creditus eſt a Samuele Propheta cuſus. En Tibi nummi imaginem, ſtupendæ, ut fertur, antiquitatis, è Villalpandino opere expreſſam, è quo alii eam hauſerunt. Confer hunc Nummum Villalpandinum cum Noſtro primo, & videbis tractus literarum non admodum diſſimiles. Quamvis in Villalpandino multæ literæ deſint temporis injuria eraſæ quæ in noſtro integræ exhibentur. Vir Sum-

mus literas ab una facie nummi, qua fascis frugum est, legit ....ב.....שמוא Censetque plene legendas esse שמואל נביא *Samuel Propheta.* Miror equidem, quod pace manium tanti Viri scripserim, qua fiducia quispiam ex quinque istis literis superstitibus fingere possit talem Inscriptionem, quæ tam parum est probabilis. Quis enim credat Nummos ætate Samuelis cusos esse, & æreos tantæ vetustatis supereresse? Adde quod eæ literæ rectius legantur שנתא, *Anno &c.* cujus lectionis rationes ante dedimus. Et literæ pars, quam pro ב habet Villalpandus, videtur pars esse literæ Daleth, eo loco in nummo nostro primo conspicuæ. Eam tamen explicationem Villalpandi secuti sunt Viri plurimi, & firmiter sibi persuaserunt nummum a Samuele Propheta esse cusum. Multa quidem Viri docti observarunt ab eo tempore ad labefactandam auctoritatem hujus nummi, quos inter præcipuos Hot-

tingerum & Conringium nominasse sufficiet, quæ quia satis nota sunt, præterimus. Hoc addimus, Samuelem, dum in vivis fuit, non fuisse appellatum נביא *Prophetam* sed ראה *Videntem*, quo nomine a Saule quærente asinas patris sui indicabatur. Textus Sacer expresse 1 Sam. 9. 9. *Antiquitus in Israele sic dicere solebat unusquisque, quum iret consultum Deum, Agite, eamus ad Videntem. Nam qui Propheta hodie, antiquitus appellabatur Videns.* Et v. 11. *Ascendebant clivum civitatis, & invenerunt puellas egredientes ad hauriendam aquam & dixerunt illis; Estne hic Videns?* Confer 2 Sam. 15. 27. Unde patet Inscriptionem illius Nummi male ad tempora Samuelis referri. Sed quid diutius ei inhæremus, quum prorsus quid aliud ea significet & eandem cum Nummo nostro Inscriptionem exhibeat? Credo ego, quamvis demonstrare non possim, (cum ἀρχέ-

τυπον

τυπον Numiſma, cujus "ἔκτυπον dedit Villalpandus, a me nunquam viſum fuerit) imaginem faſciculi frugum ſatis obſcure depictam in ἐκτύπῳ non differre re ipſa a Palma quæ in nummo noſtro conſpicitur, & illa, quæ vaſa eſſe duo Villalpandus exiſtimavit, balanos è Palma dactylifera pendentes & fere ad ſubjectum ſolum pertingentes eſſe, quâ figurâ in Nummo Siculo Perutæ quoque conſpiciuntur. Altera facies nummi Villalpandini inſcriptionem præfert, quæ, eodem interprete legenda eſt גאלת לצום *Redemtus es jejunio.* Qui modus loquendi quum genio linguæ Hebraicæ adverſetur, nos in ea ulterius refutanda operam non ponemus. Illa Inſcriptio eadem eſt cum Inſcriptione nummi noſtri primi לגאלת מיון, & fatemur nos ignorare, ut alia prætereamus, qua ratione primam literam pro Nun, ultimam pro Mem, habuerit. Certe ex noſtro Nummo primo invicte puto demonſtrari hunc nummum a CL. Vil-

Villalpando, & qui ejus vestigia secuti sunt, injuriâ Samueli Prophetæ tribui, quum literæ, quæ è Nummo Villalpandino detritæ sunt, in nostro autem extant, clarissime contrarium evincant. Ita vides, Vir Eruditissime, ut non nostris tantum sed & aliis nummis explicatio nostra lucem fœneretur. Deprehendo enim plurimas inscriptiones Nummorum Samaritanorum his nostris aut alterutri harum similes esse & indicium anni, quo cusi sunt, in plerisque adnotari. Conspicies id, ut unico saltem id exemplo confirmem, in Inscriptione Nummi quem è Cimeliis Ludolfianis depromtum CL. Cellarius æri inscribi curavit pag. 41. Histor. Samarit. quem Tibi hic exhibeo. De illa parte quæ has literas לחורות ירושלם id est, *Libertatis Hierosolymitanæ* (restitutæ) continet, jam non ago, sed ad alteram velim Te attendere, in qua forma ædificii expressa est. Literas tres שנת, etsi

tertia

tertia tantum dimidia sit, & forte adfuerit א post ת, quamvis & abesse possit, annum & tres literas è regione harum collocatas numerum anni notare nullus dubito. Sed manum de tabula. Nec enim nobis propositum est hac Dissertatione omnes nummos Veterum Hebræorum, quos vulgo Samaritanos appellamus, illustrare, sed fidem solvere quam dederamus nos conjecturas nostras, de Inscriptione quatuor Nummorum de quibus inter nos sermo fuerat, Tibi tradituros esse. Si quidam Tibi hæreant scrupuli, eos eximere tentabimus, ubi nos istius rei certiores feceris. Atque ita vides, Vir Optime, sensum harum Inscriptionum enodatum, qui & genio linguæ & statui rei publicæ Judaicæ apprime convenit. Quæ si Viro Eruditissimo Othoni Sperlingio & visæ & examinatæ fuissent, benignius forte de Inscriptionibus Nummorum Judaicorum tulisset judicium;

dicium, quam prodidit in egregia illa Dissertatione *de Nummis non cusis.* ubi *pag.* 101. *edit. nup.* hæc legimus. *Aestiment hos nummos quicunque velint, torqueant se Viri doctissimi in illis explicandis, oleum & operam se penitus perdidisse tandem videbunt, spero, tam absurdæ sunt & insulsæ inscriptiones illæ omnes, ut nihil in re nummaria occurrat stolidius.* In ea enim opinione versatur Vir Doctus, non Siclos tantum, quod facile ipsi dedero, sed & nummos omnes, qui Samaritanas aut Hebræas literas præferunt, confictos esse a recentioribus lucri faciendi gratia, & nullos omnino nummos a Judæis, etiam stante Templo Secundo, cusos fuisse, quæ illa sententia est quam supra, quum ad manus meas nondum pervenerat liber Viri Clarissimi, credebam a nullo negandam fore. Sed ubi rerum testimonia adsunt quid opus est verbis? Aut quatuor hi nummi, de quibus egimus, ge-

genuini ſunt, aut nulli prorſus. Ipſa enim inſpectio facile quemvis perſuadet. Atque ita non a Te tantum, rei nummariæ peritiſſimo, ſed & aliis, habiti ſunt, qui in hoc ſtudio ſunt verſatiſſimi. Accedit, quod non ita pridem è Syria allati ſint ab homine, qui nulla ſpe lucri permotus & pretii plane ignarus hæc una cum aliis effoſſa Numiſmata in Palæſtina facile a ſe impetrari paſſus ſit, quum ſibi inutilem hanc eſſe ſupellectilem diceret. Et, quid quæſo repugnat, quo minus nummi ab Haſmonæis cuſi ſint, quum illorum cudendorum licentiam eis datam ipſe CL. Sperlingius confiteatur, & eodem tempore a vicinis gentibus Syris & Ægyptiis nummi ſint ſignati. Certe eodem jure omnes nummi cuſi Syrorum ea ætate pro adulterinis haberi queunt. Hæc ita conſcripſeram, Vir Amiciſſime, quum deprehendi ſententiam meam, quam ſupra expoſui pag. 6. & 7. de ætate nummo-

nummorum ſignatorum, adverſari è diametro opinioni Viri Eruditi, cujus auctoritas Te forte in partes ſuas raperet, niſi aliquid reponi poſſe illius Viri argumentationibus breviter pro ratione inſtituti mei oſtenderem. Quem innuo, *Fortunatus Scacchus* eſt, qui ſignatæ monetæ uſum inde ab Abrahami ævo inter Hebræos fuiſſe adeo certum putat ut *Lib.* II. *cap.* III. *Myrothec. Sacror. Elæochriſm.* dicat, illos, qui id negant, media in luce cæcutire. Videamus, quid Eruditiſſimus Scacchus ad firmamentum ſuæ ſententiæ proferat. *Monetam ſignatam*, ait Vir Doctus, *antiquitus apud Iſraëlitas fuiſſe, ſacra oracula tradunt, ut ex variis monetarum nominibus aperto convincitur argumento. Nam talentum* ככר *Hebraice dicebatur: Sicel vero vel Siclus Latinorum Hebraice* שקל *appellabatur. Obolus minimum monetæ genus Hebraice* גרה *dictum fuit. Et quidem inter reliqua minutiſſimus erat obolus, quamobrem tantum æreum legimus obo-*

lum extitisse: at siclus aereus, argenteus & aureus reperitur, sicut etiam talentum auri legimus talentum argenti atque talentum aeris. Cumque hæc monetarum nomina & distinctio usque a temporibus Mosis in Sacris Oraculis legantur, illarumque usus non solum pondere sed etiam numero frequens fuerit, perspicuum est pecuniam non rudibus tantum metalli frustulis distingui consuevisse, sed etiam signis quæ valorem indicarent. Ego autem in nominibus nummorum a Scaccho recensitis nullum indicium signati nummi deprehendo, sed contrarium potius; quo nos ducere videntur nomina, ככר *ciccar*, quod *massam* simpliciter significat, שקל *Schekel*, quod nil aliud quam certam speciem *ponderis*, גרה *gera*, quod *minutum* pondus, vigesimam Sicli partem, notat, ut docemur Exod. 30. 13. & Ezech. 45. 12. Nihil hic de signo impresso. Certe primam vocem ככר certum pondus,

non

non ſignatam monetam notare ex eo liquet, quod 1 Reg. 10. 14. legamus ויהי משקל הזהב, *& erat pondus auri; quod uno annō Salomoni proveniebat, ſexcenta & ſexaginta ſex* ככר זהב *ciccar auri.* ubi manifeſto *ciccar* ſpecies ponderis eſſe deprehenditur. ℣. 10. ejuſdem capitis Regina Schebæ dediſſe legitur Salomoni 120. ככר זהב, *ciccar auri.* Num & illa in regno ſuo monetam eodem modo ſignatam habuit, quo ככר eſſet apud Hebræos, vel ejuſdem ponderis? Credat, qui volet. Ego ita intelligo, dediſſe eam tantum auri, quantum æquaret pondus 120. ככרי זהב apud Hebræos. Altera vox שקל, quum *pondus* notet, pro nobis facit & pro pondere habita fuit 1 Sam. 17. 5. משקל השריון חמשת אלפים שקלים *Pondus loricæ erat mille Siclorum* ℣. 7. 2 Sam. 14. 26. *Pondus capillorum capitis* (Abſalomi) *erat* 200. *Siclorum*: & alibi. Quod additur de

Siclo, qui non tantum nummus argenteus fuerit ſed æreus & aureus, facilius dicitur quam probatur. שקל זהב non notat monetam auream ſignatam, ſed quantitatem ponderis. Atque ita in reliquis. Sed, dicet Vir doctus, diſtinguuntur hi nummi variis nominibus, adeoque oportet illos ſigno aliquo diſtinctos fuiſſe. Sufficit eos pondere, a Deo definito, & magnitudine diſtinctos fuiſſe: non erat neceſſarium eos impreſſa imagine diſcernere. Eadem ratione apud Chinenſes aliaſque gentes, quibus nummi non ſignati hodieque in uſu ſunt, nummi quidem varia habent nomina & diſtinguuntur, ſed ſolo pondere, unde ſtateram ſecum mercatores circumferunt, qua id examinent. Deinde ſententiæ ſuæ præſidium quærit in teſtimonio Joſephi lib. III. Antiq. cap. I. qui deſcribens prælium inter Joſuam & Amalecitas multum auri & argenti inventum fuiſſe in caſtris Amalecitarum

tarum tradit, vasa etiam ærea, πολὺ δὲ ἐπίσημον πλῆθος ἑκαλέῳν, vertente Scaccho, *magnum etiam pecuniæ ex utroque metallo signatæ numerum*, quo textu ita firmat opinionem suam. *Quia*, inquit, *dicitur in illis castris inventum aurum & argentum, de metallis signatis non improbabiliter intelligitur; juxta ea quæ etiam in Sacris Literis scribuntur, & auri argentique signati usum etiam multo ante quam aes apud Romanos signaretur, apud Amalecitas & Israelitas demonstrat.* Non heic agam de significatione vocis ἐπίσημον, quam non ignoro pecuniam signatam, distinctam ab ἀσήμῳ, vulgo significare, sed quæ tamen æque frustula quædam auri & argenti non signata sed magnitudine sua & pondere distincta, notare potest, & sæpe metalla probata significat, ita ut ἐπίσημον & κίβδηλον sibi opponantur. Concedamus tamen Scaccho, ἐπίσημον signatam sive impressa imagine conspi-

cuam rem denotare, quum ita vulgo ea vox intelligatur; quo ſenſu in Pollucis Onomaſt. lib. III. cap. 10. poſt κόψαι νόμισμα, ἐνσημήνασθαι, τυπῶσαι, ἐντυπῶσαι, ἐντυπώσασθαι, ſcriptum eſt τὸ δὲ τοιοῦτον ἀργύριον, ἐπίσημον ἐλέγετο· ὡς τὸ ἐναντίον ἄσημον, quæ verba, in vulgatis editionibus non expreſſa, ſed è M. S. Codice reſtituta, nobiſcum communicavit Vir Eruditiſſimus & amicus meus ſingularis, cujus induſtriæ Pollux vitam & animam debet, J. H. Lederlinus. Quo modo & Scholiaſtes Euripidis, ἐπίσημον ἀργύριον τὸ κεχαραγμένον, καὶ ἄσημον τὸ μὴ κεχαραγμένον. Sit itaque ἀργύριον ἐπίσημον *argentum ſignatum*. At quis demonſtrabit per ἀργύριον numiſmata, & non vaſa argentea, quæ memorat Joſephus, intelligi debere. Certe Pollux ibidem: Τὸ δὲ ἀργύριον καλεῖται χρήματα καὶ νομίσματα, ὥσπερ καὶ τὸ χρυσίον. Et quis non videt Joſephum ſcribere, argentum illud in caſtris Amalecitarum inventum eſſe,

esse, nequaquam, illud ab Israelitis signatum aut apud eos in usu fuisse? Qua porro auctoritate ea narrat Josephus, quæ in Sacro Codice Exod. 17. ubi hæc historia tradita est, non leguntur, & quæ tam longo sæculorum intervallo ante ejus tempora contigerant? Qui libri historici ab illa ultima antiquitate tunc supererant? Si è traditione παραδόσεως hæc habuit, potuisset ejus fidem adstruxisse ut nos traheret in assensum. Pergit Eruditissimus Scacchus, scribens *memorari Gen.* 23. *& alibi Siclos argenti expresso illorum numero, quod negat de rudis argenti frustulis, nullo signo publico cusis posse intelligi, cum vox ista Siclus, quæ libram notat, determinatum argenti pondus significare debeat, at argenti rudia frustula determinatum illius metalli pondus non exprimunt.* Sed ego rationem non video ob quam vox *Siclus* de pecunia signata debeat intelligi. Fit mentio aliquot Siclo-

rum: Fateor. Sed quid inde colligitur? Ergo Sicli fuerunt fruſtula metalli certo pondere nota & definita. Recte. Erat enim Siclus, pondus 20 Gerarum (nec enim jam tangimus litem Philologicam de diſtinctione Sicli ſacri & profani.) Argenti rudia fruſtula, dicet, non exprimunt determinatum metalli pondus. Quidni? Cum unum quodque fruſtulum fuerit 20 gerarum. Qui de ponderе dubitabat, id ponderabat, unde in Sacro Codice fere ubique in emtione-venditione mentio ponderationis. Quod noſtram ſententiam mirum in modum firmat. Si enim moneta fuit ſignata, cur ubique legimus eam fuiſſe appenſam? Dices, hodieque apud nos, pecuniam, licet, ſignatam appendi ſolere. Fateor. Id autem nec ſemper fit, nec cum exigua quantitas pecuniæ ſolvenda eſt, cum panis, cum alia, exigui pretii emuntur. Ita vero apud veteres Hebræos fieri conſueviſſe docemur in Sacris pagi-

nis.

nis. In eo fallitur Vir doctus quod credat per Siclum nos pondus aliquod incertum generatim intelligere, quum ipse Deus Sicli pondus ad 20 *geras* retulerit. Quæ pondera certe tunc temporis apud Israelitas notissima fuerunt. Quod ait Siclum *libram* notare, hoc nec a Sacro nec a profano Scriptore, quod sciam, unquam fuit affirmatum. Contrarium docere potest unicus textus *Ezech.* 45. 12. qui maximam constituit differentiam inter Siclum & libram. Scacchus ubique *Siclum* ait haberi ab adversariis suis pro *libra*. Sed fallitur. Siclus dicitur esse *pondus* (non libra & *pondo*, quæ toto cœlo diversa sunt) idque certum, 20 gerarum. Unde robore destituuntur illa quæ urget, ex Gen. 24. ubi *armillæ Rebeccæ* dicuntur *æquasse pondus (Siclorum) decem*. Hic sensus esse non potest, ait, de pondere. Quidni? quia, pergit, insolens in armillis fuisset pondus decem librarum

Concedimus Scaccho tantum pondus armillarum insolens fore. Sed quis per Siclos decem intelligi debere decem libras affirmavit unquam? Nullus? quod sciam. Aliud libra, aliud Siclus est. *Siclus* significat vi etymologiæ, *pondus* a שקל ponderavit, sed nomen illud, quod notatione sua significare poterat quodlibet pondus, ita usurpatum & intellectum fuit ab Hebræis, ut tantum pondus aliquod determinatum E. G. 20. gerarum, significaret, uti λεπτὸν, quod ex etymologia sua certum nummum non designat, usu tamen illi designando aptatum est, ut, nummus, σταῖηρ, ἀργύριον, &c. Citat porro Scacchus interpretem Latinum qui hæc verba textus Hebraici כסף עבר לסחר, *argenti transeuntis ad mercimonium*, transtulit, *probatæ monetæ publicæ*. Ex quibus, inquit manifeste signatæ monetæ usum facer textus demonstrat. Fateor me in ea non esse sententia, quam Rev.

Scac-

Scacchus prodit cap. 26. lib. III. hujus Operis, Hebraica Biblia vulgati interpretis auctoritate esse corrigenda, adeoque, cum in textu Hebræo nummorum signatorum mentio non fiat, possemus hac sola responsione objecta diluere. Sed fingamus recte legi, *probatæ monetæ publicæ*, num hoc de sola pecunia signata intelligi debet? Ego quidem aliter existimo. Monetæ nomen æque convenit nummis rudibus ac signatis. Dicta enim a monendo est, quod spectatores suos de pretio suo moneat: an id pondere & figura non perinde ac imagine fieri potest? Denique textus quosdam è Sacro Codice profert, *in quibus* (ait) *Siclus non potest significare libram, ut quum* 1 *Reg.* 10. *Salomon sexcentos auri Siclos dedisse legitur, ut inde scutum unum conficeretur. Nec enim credibile est scutum unum* 600 *auri libras mole sua æquasse.* Sed nec id nos affirmamus, Siclum idem esse

esse cum libra, adeoque hæc nos non tangunt, nec ullam rationem videmus quæ nos moveat, ut ab opinione nostra recederemus. Vale Vir amicissime, & me, quod facis, ama. Trajecti ad Rhenum. Idibus Decembribus CIↃIↃCCI.

ADDENDUM.

Pag. 24. ante illa verba, *In Sicilia quoque Parutae*, hanc periodum colloca. Inspice etiam Bernardum Aldrete in Libro Hispanico, cui titulus, *Varias Antiguedades de Espana, Africa y otras provincias*, qui pag. 178 nummos plures exhibet characteribus Punicis conspicuos, in quibus litera illa, crucis imaginem referens, aliquoties cernitur.

BSB Bayerische StaatsBibliothek
MDZ Münchener DigitalisierungsZentrum Digitale Bibliothek

Reelant, Adriaan,

Diss. de inscriptione nummorum quorundam Samaritanorum

Amstelodamum 1702
Diss. 694,9
urn:nbn:de:bvb:12-bsb10841212-8